

tium in se occultatum complectuntur. Hinc Rex Aros haud male loquitur, dum ita ait: Medicina nostra ex duobus vnus essentiaë conficitur, vtpote ex coniunctione constantis, spiritualis & corporalis, frigidaë & humidaë, calidaë & siccaë naturaë, sed ex nulla re amplius. Sic Richardus Anglicus ait: Vnus Lapis est, vna itidem Medicina est, quæ à Philosophis REBIS dicitur, & ex duabus rebus, Corpore scilicet, & spiritu, alba, vel rubra, conficitur: in quo sane stultorum non pauci errarunt, iuxta varie intellectum intelligendumque versiculum:

EST REBIS in dictis rectissima norma figuris.

H. e. Res duæ: & hæ res vnum sunt, nimirum aqua, quæ corpori coniungitur, & illud ita in spiritum resoluit, h. e. in mineralem aliquam aquam, ex qua primum desumptum erat: & hac ratione ex corpore & spiritu mineralis aqua talis fit, quæ Elixir, hoc est, Fermentum nominatur. Tum enim aqua & spiritus res vna est, ex qua Tinctura & Medicina præparantur, quæ omnia corpora purificant, & in ista puritate sua conseruant. Quocirca nostra Medicina ex re vna, quæ est aqua & spiritus corporis, perficitur. Et ita nos iuxta Philosophos, naturam sulphuris, & argenti viui, supra terram habemus, ex quibus aurum & argentum sub terra factum est. Bernardus Comes Tregnius, & Marcanus ait: opus nostrum fit ex vna radice, & duabus Mercurialibus substantiis, si crude eximatur, è Minera extrahatur, mundetur, & purificetur &c. Basilius Valentinus vero, in libro de rebus naturalibus, & præternaturalibus, cap. 4. ait: In veritate, & per Dei amorem adhuc hoc tibi manifestabo, quod radix Philosophi sulphuris, quod cœlestis est spiritus, cum

B 3 radice,

The Chym. Vol. 2. p. 108.
The Chym. Vol. 2. p. 108.
p. 108.